

Liberrimè Fortunante Christo atque Donante

PROGRAMMA,

DE

SYMBOLO

Illustrissimi & Celsissimi

COMITIS ac DOMINI,

DN. LUDOVICI
FRIEDERICI,

S. R. I. QVATUOR-VIRI,

COMITIS Schwartzburgi & Hohnsteini, Dynastæ
Arnsteti, Sondershusæ, Leutenbergæ, Lohræ &
Clettenbergæ,

Comitis & Domini mei Clementissimi,

Charissimi,

ad cuius

LÆTISSIMA NATALIUM FESTA,

conjunctis Musarum nostrarum plausibus
celebranda,

voluit ac debuit,

*Magnificos Dominos Scholarchas, & can-
didos rei nostræ literariæ amatores,*

unà cum Honoratissimo Domino RECTORE,
invitare

M. JOH. ERNESTUS MULLERUS, ConR.

Rudolstadii, Typis URBANIANIS, 1700.

Zzzz.



LUDOVICUS FRIEDERICUS,
COMES atque DOMINUS,

per anagramma:

Cur. Felices. Videmus. Quòd.
JESUS. Ductor. Omnia.

b. e.

*Cur nos felices omnes hâc luce vocemus,
Percipias, Lector, quæso, videmus eâ,
Quòd Comiti nostro JESUS sit Ductor ubiq;
Et quid? JESUS ei est Omnia, Vita, Salus.*

B L..

SI quædam Oratio ingenii humani index est, non certiore esse, existimo, quàm Symbolicam, quâ ipsâ homo singulari occultæ consultationis conatu mentis suæ imaginem exprimit, cuius ætati præsentissimam sui memoriam relicturus. Huic meæ sententiæ si quis experientiam accommodare non pigrabitur, historiam, illud Antiquitatis iter, & exemplorum copiam, perambulet, jamdudum hujus veritatis indicia in universum orbem emanasse, exinde cognoscet, quod plerumque Symbola sint autorum suorum imaginibus adscribenda lemmata, in quibus, velut in speculis, breves eorum historias perlustramus. Non prolixæ Orationis initium causasque
nunc

nunc struam, sed uno tantum alterove exemplo id præstabo, ut consensu tuo, B. L. in partes meas concedere non refugias. Sine ulteriore igitur præfamine in memoriam Tibi revoco Ferdinandum tertium, Imperatorem Romanum, qui pacem impeditam & perditam orbi Christiano, ad sempiternam Nominis sui gloriam, restituit, si quæ perlegendi annales ejus cupido Te inceserit, non ad breviorum summam posse redigi, quàm hoc Symbolum ejus: *Pietate & Justitia*, designat, sponte tuâ fateberis; his enim virtutibus potissimum ad Imperatorii Nominis celebritatem erectus videbatur, sic ut ex omnibus ejus studiis eluceant, ad accuratam cognitionem vocantibus. Longius ab hujus ætate si recedamus, & Caroli V. (cujus vitam linguâ Italica descriptam nuper nobis dedit Gregorius Leti, Historicus celeberrimus,) mentem rerum ab ipso gestarum studio metiamur, quod non alio quàm insatiabili ambitionis stimulo concitatus, perinde ac Cæsar & Alexander Macedo, tot bellorum subierit discrimina, exploratissimum erit. Hunc animi characterem Symbolum illius, *Plus ultra*, manifestissimo sensu includit. Ut pluribus exemplis parcam, & oculorum tuorum fastidia effugiam, non aliud, quàm hujus Diei festivitati accommodatissimum, nempe Celsissimi mei Comitis ac Domini, DN. LUDOVICI FRIEDERICI, Symbolum, memoratis adjiciam, cujus si laudes huic meæ oratiunculæ inferere, & ita narrationis causas aliunde repetere vellem, ægrè ab admiratione statim emergeres, etsi etiam vel solum ipsius in Jesum Christum amorem, profundissimis radicibus in animo ejus defixum, & breviter descriptum, quò coram DEO &

omnibus Sanctis maximè effulget, in hanc chartam conjicere, juvaret. Non autem melioribus experimentis hæc omnia, aliàs scribenda, addisces, quàm si plenum Pietatis Symbolum, ejus animi, quo regitur, & ad divinos amores inflectitur, perfectissimum characterem paulò attentius mecum expendaris. Est autem hoc, quo mentis suæ formam in luce publica conspiciendam reddit, Symbolum: *JESUS Mibi Omnia!* Attende, quæso, quæ verborum sanctitas hinc exsplendescat, quæ abstrusissimorum sensuum pietas exinde in audientem redundet, quæ meditationum suavitas hinc totos nos occupet? Et quid aliud, me interprete, vult dicere, quàm JESUS, agnus ille Dei immaculatus & incontaminatus, flos ille de radice Jessæa dulcissimus, jucundissimus, adspectu suo animam meam pascit atque reficit, summus ille salutis meæ autor atque reparator, hostia illa, pro me DEO in odorem suavitatis oblata, sua sanctitate & jucunditate mentem meam erigit atque allicit. JESUS, caput omnis principatus & potestatis, ipsius substantiæ divinæ figura, unigenitus Dei filius, imago Dei invisibilis, & summus animæ meæ Episcopus est, cujus veneratione spiritus meus totus tenetur, in hoc Potente solo est adjutorium meum, in hoc Advocato solo constituitur præsidium meum, in hoc Angelo solo fundatur protectio mea, ab hac arbor vitae sola pendet omnis oblectatio mea, quid? hoc cunctis gentibus desiderato Dominatore omnium, bonorum expectatio, & totius mentis exultatio, nititur. Venerentur alii potentissimos terræ Monarchas, Filius Dei altissimi est Rex meus & Princeps in perpetuum, apud quem invenio, quicquid oculus appetit,

tit, quicquid mens mea efflagitat. Non aliam vitam expeto, quàm in JEsu propositam, non aliam veritatem investigo, quàm in JEsu revelatam, non aliam viam teneo, quàm in JEsu monstratam. In tenebris si incedam, lux gentium, lux hominum, lux mundi, JEsus, mihi Sol est justitiæ, splendor gloriæ, qui lumine, suo omnia cœli sidera exsuperat. Solatiis si deficiam, frater fidelium benignissimis verbis me solatur, gaudium hoc magnum omnes nubeculas citò transifuras discutit, & humilis corde JEsus sua me amicitia dignatur. Sanè nemo neque in cœlo, neque in terra est, quàm JEsus, cui plura aut majora beneficia debeam, quibus me ita sibi devicit, ut ego totus ipsius, & ipse meus esse videatur. Vivum atque incolumem produxit in hanc vitam, & Patrem dedit, quo nemo mitior, Matrem dedit, qua nemo pientior, ad dignam meâ fortunâ Sapientiam & Pietatem his sollicitis salutis meæ Custodibus educatus sum. Plenus ille gratiæ & veritatis JEsus, summus ille futurorum bonorum Pontifex, in suam curam, me in suam protectionem suscepit, & propugnator ad me salvandum factus ita, suscepit, ut illius justitia luceam, illius gratia splendeam, illius conservatione in omnibus necessitatibus vincam. Siccine mihi non satis causæ sit ad exclamandum: *JESUS Mibi Omnia!* Hic stat in vexillum meæ Familiæ, & quod mihi sit omnia, ipse testis est fidelis & verus, ejusque, quod possideo, defensor ac conservator, ejus, quod cupio, spes certa ac indubitata fiducia. Pendeant quicunque alii ab expectatione terrenæ voluptatis, & summum bonum in eadem constituent: salutare Domini, salutare meum est, hoc solo

pascor, hoc solo oblector, hoc solo reficior. Hic pastor bonus ad satietatem usque me explet, hic oriens ex alto sua luce me illuminat, hic Medicus ægram animam ad sanitatem reducit, *JESUS Mibi Omnia!* quia in JESU & per JESUM possideo omnia. Lapis ille pretiosus & probatus me decore, Angelis sanctis venerabili, malis terribili, totum superfundit. Filius DEI est Pater meus, Filius Dei est Frater meus, qui me cohæredem summæ suæ felicitatis esse voluit, quidni in JESU possideam omnia? Sanctam in terris habitationem mihi constituit, & in Paradisum Ecclesiæ receptum, fructibus de arbore vitæ vivificat, in cœlo etiam hic clavem habens Davidis certam mansionem parabit, ibidemq; manna abscondito æternum cibabit. Quemadmodum Sol diei omne suppeditat lumen, & radiis collustrat suis, quicquid aliàs à mortalium oculis est remotum, sic & JESUS omne mihi est lumen, omne Numen, & omnis necessitatis sublevamen, stella splendida & matutina, à qua ad me omnis regenerationis, omnis sanctificationis, omnis reconciliationis splendor & illustratio promanat. Exclamet sanctus Patriarcha Jacobus: Tu es Angelus, eruens me ex omnibus malis, atque, JESUM sibi esse omnia, publicè testatum faciat, idem & ego testor Symbolo meo. Omnium autem aures hoc clamore suo compleat Mulier, tollens in populo vocem suam: Benedictus est fructus JESUS, & mihi benedictio omnis est JESUS. Cornu salutis suæ vocet JESUM Zacharias, idem & meum est asylum, in quo, tanquam muro & antemurali, omne subsidium, omne præsidium vitæ meæ colloco. Emanuelem suum hunc protensis ad se brachiis pertrahat Esaias Prophe-
ta,

ta, eundem & mihi totum tribuo. Omnes in cœlo Angeli consonent, hunc JEsū magnum esse generis humani gaudium, me si quis spectat, non magnum, sed maximum, idque unicum, meum esse gaudium, profitentem audit. Quā arctè ulnis suis teneat JEsū, venerabilis ille Senex, Simeon, & meminerit, JEsū, esse hæredem univerſorum, sic & ipse hujus hæreditatis portio sum. JEsus est meus, JEsus est mihi omnia. Quā ignei etiam amoris contentione concitatus omnibus diris devoveat Apostolus Paulus, qui JEsū non amet, non dissentio à Paulo, ego pari amoris æmulatione JEsū amo, & solum amo omnium amore dignissimum. Ecquis ei etiam non omnes amores suos consecret, quem summus Deus omni amore suo complectitur, utpote unigenitum suum, proximum sui, sceptrum de Israële confurgens, inter hujus Salvatoris mei brachia & vivere & mori cupio. Perpende, quæso, B.L. quæ in hoc Symbolo pietas lateat, miraris, noli mirari, omnibus modis major est, quæ in Autoris, Celsissimi Comitis, animo, tanquam in propria sua, domo, Pietas residet, in quem hoc sanctissimum virgultum, JEsus, de terra sitienti translatus, viret ac virescit, & super quem stillicidia stillantia pleno alveo gratiam divinam effundunt. Desine cogitare pluviam in vellus Gideonis, cui JEsus est omnia, in illius anima universus gratiæ divinæ oceanus exundat. Invenit Simson, Heros Patriæ nostræ, Leonem de tribu Judæ, & suavitatem oris ejus avidissimè degustavit, nec illa exsaturari potest, quia JEsus ipsi est omnia. Plura adscribere nolo, quia in hanc sententiam plura dicentes ornatissimi, & celerrimis ingeniis præditi, juvenes tri-

rectus: Franco-
ebat Hefleri Egti:
Thur: Jena 1703.

triplicem in hoc meo Gratosissimo Comite Nobilitatem deprædicaturi. Primus *Ludovicus Gottlieb* à *Waldeck* / Eques Marchicus, in quo juvando atque extollendo DEUS omnem suam perficiat gratiam; hic oratione sua, in qua componenda satis ei superque sudatum est, laudabit Nobilitatem Generis. Secundus *Christianus Carolus Wildvogel* / Jenensis, qui ut laudatissimus paternæ virtutis æmulus fiat, DEUM invoco, ornatissimis verbis Nobilitatem Virtutis commendabit. Tertius *Christianus Henricus* à *Wardorff* / Eques Varius, qui ut pari gratia apud Summos imosque prævaleat, non minori animi contentione divinam Bonitatem efflagito; hic Nobilitatem Christianitatis deprædicabit. Quod mihi nunc in consuetudinem vertit, præfatione de dulcedine nominis Jesu palæstram Oratoriam aperiam dicturis. Mira studiorum cupiditate Te, B.L. nunc adeo, & precibus incumbo, quibus Te commovere pervelim, ut vel summæ gratiæ indulgentia, vel usu amicitiae, vel amoris collegialis jure, concitatus, eundem Pietatis affectum, quem oratores induerunt, accipias, & ad toties exhibitæ per præsentiam Tuam benevolentiae cumulum nova hodiè beneficia congeras. Quanti hanc Tuam munificentiam æstumemus, omnium oculis perpetuò expositum erit. Vale &, si quid nunc laxamenti Tibi est à laboribus, hujus Diei festivitibus officium persoluturus, veni.

Amando JESU Gloria!

Dabam è Museo 23. Octobr.

anno:

Is JEsVs, SaLVator tVVs, si tibi slt oMnIs
Vltæ IVCVnDltas, beatVs es!

Q. K. 128, 14

Liberrime Fortunante C

PROGR.

SYMB

Illustrissimi
COMITIS a

DN. LUI
FRIED

S. R. I. QVA

COMITIS Schwartzburg

Arnsteri, Sondershusæ, I

Cletten

Comitis & Domini

Chari

ad cu

LÆTISSIMA NA

conjunctis Musarum

celebr

voluit ac

Magnificos Dominos

idos rei nostræ li

unà cum Honoratissimo

invi

M. JOH. ERNESTUS

Rudolstadtii, Typis

Zz

